

*pus ipsum destruentem.* Et quantum adtinet ad venena, Gale-  
 no (z) & Antiquis triplicis erant generis: Erodentia, frigida  
 & putrefacientia, quæ sic Recentiores interpretantur: ut,  
 vel ipsas partes solidas pungendo scindendoque corrodam;  
 vel peregrino, quem vehunt, & insolito sanguini æthere,  
 ipsum hunc vitalem liquorem aggrediantur, disjectaque ejus  
 particularum mixtura, secedere illas ipsas ab invicem faciant,  
 adeoque lethalem coagulationem introducant, vel etiam ita  
 resolvant consuetum illum necessariumque sanguinis lento-  
 rem, cujus ope amice cohærent reliqua omnia, ut vini ru-  
 belli vel carnum loturæ instar etiam in defuncto jam cada-  
 vere in venis reperiatur. Nam quæ cretacea sua vel calci-  
 formi crassitie ipsos meatus obstruunt & ductus obturant, ma-  
 nifestius agunt, quam ut iis explicandis inhære necessum  
 sit. Fermenti quidem natura, si altius res repetenda esset,  
 per quam difficilis est; sed in Praxi Medica sufficit eundem,  
 quem vulgo habemus, hic conceptum formare: scilicet cum  
 non omnia fermentari ab omnibus animadvertamus, sed cuique  
 mixto speciale convenire fermentum, e. g. acetum vini vino  
 fermentum esse, quod vino affusum & multiplicare seipsum,  
 & totum tandem in sui naturam convertere; & farinaceæ  
 massæ id, quod in pistoriis officinis illi addi solet, fermentum  
 esse: nam in pauca licet quantitate additum, tamen non su-  
 perari videamus: quod hætenus, ut cognoscant, pistorum  
 interest, altiores ejus primasque causas speculantibus relin-  
 quentium; eodem etiam modo Venereum hoc virus, fer-  
 menti instar humanam genituram & similes illi humores  
 afficere observamus, in cuius vel eludendo contagio vel fran-  
 gendo, vel exterminando omne Medici officium versatur.  
 Quidquid interim sit de ipsis hujus fermenti particularum figu-  
 ris, & ramis, & poris, in qua re si vel posita quædam esset à  
 Theoreticis Hypothesis, certum tamen est, antequam omni-  
 bus, quæ circa eandem moveri recte possent, dubiis sese ex-  
 sol-

(z) *d. simpl. Med. Facult. lib. 3. c. 17. § 21.*